

pertinet ad legatarium. Si quis domum legavit, quæ postea recondita vel meliorata est, omnia melioramenta ad legatarium pertinent. Si res legata a testatore vendatur, vel distrahatur, censetur revocatum legatum, & licet eam dominus iterum acquirat, non reviviscit legatum. Si quis legat alicui triticum in horreo inclusum, & postea illud consumat, cessat quidem legatum ob consumptionem; sed si aliud reponatur a testatore in eodem loco, illud legatario debetur tanquam subrogatum loco consumpti: & idem est de domo legata, postea destructa, & in eodem loco a testatore denovo erecta. Si testator legavit Petro 100. aureos qui sunt in arca: si ibi tantum sint 50. hi tantum debentur legatario. n. 174.

229. Fructus ex re legata percepti ante mortem testatoris pertinent ad hæredem, non vero ad legatarium, nisi aliud constet de mente testatoris; & nisi fructus rei legatæ ipsi incorporentur, quemadmodum gregi incorporantur capita quæ nascuntur; nam & quæ moriuntur legatario moriuntur. Si res legata fuerit fundus, vinea, olivetum, &c. fructus pendentes tempore mortis testatoris pertinent ad legatarium. Tract. 14. cap. 5. num. 175. Legato principali censentur legata & accessoria, n. 176. Legatum relictum sub distinctione dicendo *v. gr.* dantur Petro arma mea, vel vestes, potest ab hærede adimpleri tribuendo quod voluerit, scilicet vel arma, vel vestes. n. 177. Legatarius debet ab hærede legatum accipere: quod si post acceptationem hereditatis legatarius propria auctoritate, inficio hærede legatum, vel eius partem sibi accipiat, id quod accepit amittit, & hæredi tribuitur. num. 178. Si legatum factum sit tali pauperi, vel tali loco pio, non ut talis persona est, vel talis locus, sed ut opus pium est; mortuo illo paupere, vel destructo loco, alteri pauperi, seu loco pio tribuendum est: secus si illi personæ vel loco reduplicative, ut tali factum est; in dubio autem præsumendum est voluisse

testatorem facere opus pium. n. 179.

230. Legatum relictum sub conditione de facto, vel de jure impossibile, rejecta conditione validum est; sicut & omnes aliæ ultimæ voluntates. Condicio autem de facto impossibilis est que re ipsa impleri nequit, ut: si digito cæculum tetigeris: condicio vero de jure impossibilis est, cui jus divinum, naturale, vel humanum resistit, vel que est contra bonos mores, vel opera pietatis; & hæc semper rejici debet. Tract. 14. cap. 5. n. 180. Legatum relictum Petro ut nubat testatoris filie, non valet nisi matrimonio secuto: & si alteri nubat legatum amittit; etiam si altera mortua cum qua post legatum nupsit, ducat testatoris filiam. Non amittit tamen legatum, si filia testatoris vel moriatur, vel Petrum accipere nolit, vel ejus Parentes eam ipsi dare recusent; neque si tale matrimonium non sit honestum, & cum persona digna. num. 181. Condicio nunquam nubendi, addita legato, invalida est: condicio vero non transeundi ad secundas nuptias valet; & si legatarius iterum nubat, amittit legatum. num. 182. Legatum relictum mulieri sub conditione, quod casta, & honeste vivat, non amittitur si contrahat matrimonium: bene vero si copulam illicitam, si tactus impudicus, amplexus & oscula, non semel, aut iterum, sed pluries admittit. num. 183.

231. Legatum relictum pro nubendis virginibus, viduis, vel orphanis, potest dari eisdem ingredi volentibus Religionem; etiam si mens testatoris non esset illud dari Religionem ingressurus, quia, ne propter legatum melior status deleteratur, talis condicio rejicitur. Tract. 14. cap. 5. n. 185. Legatum relictum pro naturalibus alicujus Oppidi, alibi natis, qui ibi sunt, & habent animum ibi in perpetuum manendi dari potest, si de tali animo constet: vel ibi saltem per decennium habitaverint. num. 186. Legatum relictum ad nubendas orphanas, potest dari iis quæ parentes inutiles habent, si non adiant ali-

que

que veræ orphanæ sint. num. 187. Legatum pro nubendis mulieribus, non potest dari jam nuptis, nisi quando relictum est tali determinatæ personæ ut nubat; quia tunc etiam si jam nupsit, ei dandum est. num. 188. Legatum pro nubendis, virginibus, etiam secreto corruptis dari potest, dummodo in communi hominum opinione virgines reputentur. num. 190. Si bona defuncti pro omnibus legatis non sufficiant, solutio pro rata faciendæ est. n. 191.

232. Quando mens testatoris dubia est, datur locus interpretationi, quam potest facere quilibet vir doctus. Tract. 14. cap. 5. n. 192. Legatorum commutatio, si impleri non possint in forma a testatore prescripta, auctoritate Episcopi, fieri potest antecedente heredum, & legatiorum consensu; si ob id graventur. Legatum quod impleri non potest, si sit profanum, fit caducum; & cedit heredi: si sit pium, converti debet in aliud simile, auctoritate ut supra. num. 193. Legatum quod impleri potest, si sit profanum, auctoritate supremi Principis, ob publicam necessitatem, vel aliam justam causam in aliud profanum, vel pium commutari potest: si sit pium, potest illud summus Pontifex ex justa causa, & non aliter, in aliud pium commutare. Id etiam potest Episcopus ex justa causa, consentientibus hærede, & legatario, si ob id graventur. num. 194.

233. Quarta Falcidia dicitur quarta pars bonorum testatoris, quæ deducitur pro rata ex legatis in testamento relictis, ita ut saltem quarta pars bonorum hæredi remaneat. Falcidia ergo tunc solum deduci potest, cum solutus debitis, & legatis non remanet hæredi saltem quarta pars bonorum testatoris. Falcidia non solum deducitur ex legatis, sed etiam ex donationibus, causa mortis. In hac quarta parte computandum est quicquid hæres per hereditatem accipit; de eo vero quod per viam legati ei relinquitur, idem dicen-

dum ac de aliis legatis, ita ut de omnibus Falcidia deducatur. Tract. 14. cap. 5. n. 195. Antequam Falcidia deducatur, solvenda sunt omnia debita testatoris, & expensæ funeris. Deinde deducenda sunt legata necessaria, si hæreses sint descendentes vel ascendentes: Deinde legata pia, & si quæ sunt privilegiata: tandem ex reliquis legatis deducitur ab hæredibus non necessariis quarta Falcidia. n. 196.

234. Non potest deduci quarta Falcidia. 1. Quando id testator expresse prohibuit. 2. Si legatum sit causa pia, nisi etiam hæres sit causa pia. 3. Ex legatis sub conditione quod non possint vendi, distrahi, aut alia via evagari. 4. Quando hæres non fecit inventarium tempore a jure præfixo. 5. Quando hæres a Judice admittitur, intra annum non adimplevit testamentum. Sed cum istæ leges sint penales, non obligant nisi post Judicis sententiam. 6. Quando hæres sciens vires hereditatis legata integre solvit; si tamen ex errore hoc fecit, putans hereditatem sufficere ad omnia, quæ de facto non sufficit: vel si appareant nova debita, poterit suam Falcidiam ex legatis solutus repetere. Tract. 14. cap. 5. n. 197.

TRACTATUS VIII.

De octavo Decalogi præcepto.

PROÆMIUM.

IN hoc præcepto prohibentur læsiones; vel injuriæ proximo irrogatæ; tam in judicio per falsum testimonium, quam extra judicium mendacis, temerario judicio, detractioe, contumelia,

lia, irrisione, seu derisione, suffuratione, & maledictione, quibus omnibus hic erit agendum.

CAPUT I

De falso testimonio, & mendacio.

§. I.

De falso testimonio.

Testimonium est illud dictum, quod profert testis in iudicio circa aliquod quod interrogat Judex cum aliquam causam efformat. *Tract. 27. c. 1. n. 1.* Desinitur autem falsum testimonium: *Prolatio alicujus rei facta a teste coram Judice, seu in iudicio cum juramento per verba dissona, vel rebus, vel menti tantum, vel simul menti, & rebus, que enunciat.* num. 2. Aliquando testimonium est tantum materialiter falsum, cum scilicet verba sunt dissona rebus, non menti; aliquando formaliter tantum, ut cum verba testis sunt dissona menti, non rebus; aliquando vero & materialiter, & formaliter; cum scilicet verba testis & menti & rebus dissona sunt. num. 3. Testimonium formaliter falsum, ratione perjurii semper est peccatum mortale: ratione quoque injulitiae ex genere suo peccatum mortale est: ratione vero mendacii, non semper est mortale. num. 4. Testis qui bona fide, & ex invincibili ignorantia testatus est falsum, ob quod alter condemnandus est; si ante prolationem sententiæ, reo supposito prodesse potest manifestandum suum errorem, ad id tenetur, ne sua taciturnitate incipiat esse causa formalis damni; quod si non faciat peccat, & ad refarcienda damna tenetur. n. 11. 12.

2. Testis formaliter falsus si speret retractationem profuturam reo supposito, ad eam tenetur, & insuper ad refarcienda damna secuta: & hoc etiam cum sua fame, & bonæ opinionis detrimen-

to. Si nulla adfit spes quod retractatio sua prodesse possit ad reum innocentem liberandum, non tenetur ad se retractandum, bene vero ad damna refarcienda. *Tract. 27. cap. 1. n. 13.* Qui induxit alios ad falsum testimonium contra aliquem, si nullam aliud adfit remedium ad illum liberandum, tenetur suadere illis, ut dictum retractent coram Judice; quod si nolint, tenetur suam machinationem coram Judice aperire: sed si nulla adfit spes liberandi eum, solum tenebitur ad damna refarcienda; non vero ad retractationem, vel manifestationem suæ machinationis. num. 14. Testis legitime interrogatus veritatem fateri tenetur. n. 15. Quando certo constat quod Judex est vir probus, & rectus, præsumendum est iure iudicis, & legitime procedere in examine. Similiter in dubio an iudicis procedat, credendum est iudicis procedere. In causis tamen criminalibus capitalibus, aut gravibus, si dubium sit an Judex iudicet procedat, tenetur testis testimonium contra reum non ferre, & debet celare veritatem; dummodo crimen non cedat in damnum commune, ut crimen hæresis, proditiōnis Civitatis, vel aliud simile. n. 16.

3. Quando præcedit infamia, tunc Judex iudicet procedit, & testis interrogatus testificari tenetur. Immo etiam si non præcesserit infamia, si ex delicto imminet damnum communitati, vel alicui particulari, & non nisi per Judicem averti possit, etiam in tali casu Judex legitime interrogat, & testis veritatem fateri tenetur. *Tract. 27. cap. 1. num. 17. 18. 19.* Si testis a iudice requisitus veritatem celet, cum eam manifestando, proximum a damno imminenti liberare possit; peccat contra iustitiam, & ad refarcienda damna tenetur: si vero non sit requisitus, peccat quidem contra charitatem, non tamen contra iustitiam, nec ad damna reparanda tenetur; & hoc probabilis est, sive grave damnum imminens sit in vita, sive in bonis temporalibus. num. 20. 21.

4. Quan-

4. Quando Judex per viam accusationis procedit, si ultra accusatorem non habeatur, nisi præcise unus testis, probabilis est ipsum teneri veritatem aperire: nam hoc ipso quod crimen delictum sit ad forum contentiosum, est etiam sufficienter manifestum, & ex eo quod quis accusatus est de delicto, sufficiens præcedit infamia. *Tract. 27. cap. 1. num. 23. 24.* Quando Judex procedit per viam inquisitionis generalis, vel mixtæ; scilicet quando delictum est manifestum, sed reus occultus: si tale delictum est in damnum commune, aut Religionis, aut in damnum notabile particularis personæ, & est in fieri, tenetur testis singularis Judici inquirenti veritatem aperire. Quando præcedit infamia delinquentis, ad manifestandum delictum, etiam testis singularis obligatur. num. 25. Et si delictum sit publicum, si tamen non adest infamia delinquentis, & delictum non est in alterius damnum, sed solum queritur ad punitionem, non tenetur testis singularis, nec debet veritatem fateri, cum examinatur a Judice per viam inquisitionis procedente: excipit tamen delicta læsæ utriusque majestatis, & contra bonum commune; hæc enim infamia non indigent. nu. 26. 27. Cum Judex aut quilibet alius interrogat, censetur interrogare de iis, quæ sibi iure revelari possunt: & si de aliis, quæ manifestari, non debent, interroget, & veritatem exquirere conetur, optime qui interrogatur respondere potest, & jurare, se nescire, subintelligendo *ad tibi manifestandum*. Neque hic datur restrictio iniquæ interrogationis patet: veritas responsionis. *Tract. 24. disp. 9. num. 31. 32.*

5. Ut testis rogatus a Judice teneatur respondere, debet precedere infamia Rei, & de ea ipsi constare; sufficiens autem quod sibi constet de ea, ex quocunque capite talem notitiam acquirat: & sufficiens etiam si sciat adeste alium testem; omni exceptione majorem, qui testi-

ficari possit, & semiplene probare. *Tract. 27. cap. 1. num. 30.* Non tenetur ad testificandum ex vi edicti, qui delictum novit, si opus esset propriis expensis iter agere usque ad locum ubi residet Judex. Item non tenetur, qui probabiliter timet, quod sibi exceptio opponatur, ex qua notabilis infamia proveniret. Non nisi raro ad testificandum tenetur affines, & consanguinei delinquentis contra sanguine junctos. Qui iustam causam habet celandi veritatem, potest se occultare, & interrogatus, delictum etiam cum juramento celare. Excusatur etiam a testificando particeps in delicto. Excusatur quoque a testificando de furto commisso, qui novit rem sublatam fuisse per iustam compensationem; & denique a testimonio ferendo eximitur, qui rem novit a personis fide indignis, ne exponatur reus infamiae periculo. num. 44.

§. II.

De mendacio.

6. Mendacium est enunciatio falsi, cum voluntate ad fallendum prolata. Sub nomine enunciationis veniunt etiam nutus, signa, & scriptura. Desinitur etiam, quod sit locutio studiosa, contra mentem. *Tract. 27. cap. 2. n. 1.* Mendacium aliud est materiale, aliud formale. Materiale tantum est cum id asseritur, quod falsum est, sed creditur esse verum. Quare qui loquitur amphibologice non mentitur, quando verba vel ex se, vel ex adiunctis circumstantiis habent diversos sensus, & unus ex illis intenditur a loquente; bene vero mendacium diceret qui verba profert, quæ ex restrictione pure mentali, conceptum mentis significant. Mendacium formale tantum tunc est, cum quis profert ut falsum, & cum intentione dicendi falsum, id quod est in se verum. Mendacium etiam formale est cum id quod dubium est, ut certum affir-

affirmatur . num. 3. Secundo dividitur mendacium in joculum, officiosum, & perniciosum. Mendacium joculum est, quod ordinatur ad propriam, vel aliorum delectationem. Mendacium officiosum est, per quod quis intendit aliquam utilitatem propriam, vel alienam consequi, sive in spiritualibus, sive in corporalibus; vel aliquid nocumentum vitare, dummodo abique proximi damno. Mendacium perniciosum est, per quod injuste alteri damnum inferatur; quidquid sit, an alicui profuit, vel non: sive quod est contra honorem Dei, vel bonum proximi. n. 4.

7. Nunquam licitum est ob quodcumque damnum vitandum proferre mendacium. Tract. 27. cap. 2. nu. 9. Mendacium joculum, & officiosum non sunt peccata mortalia, dummodo ab sit juramentum: quia si juramento firmentur, erant mortalia, ratione perjurii. nu. 20. Mendacium perniciosum ex genere suo est peccatum mortale. Potest autem esse veniale ex defectu deliberationis, vel ex parvitate materiæ in damno illato. n. 21. 22. Solum mendacium graviter perniciosum in hoc octavo præcepto directe prohibetur, cætera vero indirecte. nu. 23. Mendacium in confessione Sacramentali circa materiam ex se levem, non est peccatum mortale, nisi in casu quo quis poneret unice in confessione pro materia Sacramentali peccatum leve, quod reipsa non fecit: si enim adsit materia sufficiens vera, & addatur aliquid veniale non commissum, aut negetur veniale commissum, aut numerus venialium augetur vel minuatur, non erit peccatum mortale. n. 24. 26. Non solum est peccatum mortale imponere sibi in confessione grave peccatum, quod non fecit: sed etiam se accusare de eo tanquam alias confessio. n. 32.

8. *Amphibologia*, (quæ vulgo dicitur æquivocatio,) est *ambigua sermonis sententia*. Quadrupliciter contingit. 1. Cum verba ex se habent duplicem sensum literalem. 2. Cum habent unum sensum communem, & veluti literalem,

alium vero minus communem, seu improprium; ut cum Christus dixit de Joanne: Ipse est Elias. 3. Quando verba ex se habent quidem unicum sensum tantum; sed ex adjunctis circumstantiis temporis, loquentis, interrogantis, &c. ad alium sensum trahuntur; ut si Confessarius interroget penitentem an commiserit tale peccatum v.g. adulterium, licet illud vere commiserit, si tamen jam confessus est in alia confessione, dicere potest: non commisi: quia interrogatio est de adulterio commisso, & non confesso. 4. Cum verba ex se, & ex circumstantiis unicum tantum sensum habent, sed per solam restrictionem mentalem loquentis trahuntur ad alium; ut si a Petro plures pecunias habente, pecunias petas, & ille respondeat: non habeo pecunias, mentaliter addendo: non tibi mutuandum. Tract. 17. cap. 2. nu. 105. 106. Nulla ex dictis æquivocationibus uti licet sine justa, & rationabili causa; & multo minus dictum sub æquivocatione, & in alio sensu quam qui communiter ab auditoribus accipitur, juramento firmare: & est peccatum hujusmodi juramentum, sine justa, & rationabili causa prolatum; erit tamen veniale tantum in iis casibus, in quibus uti licet amphibologia; si sine justa, & rationabili causa assumatur. Justa autem causa erit pro usu amphibologiae, etiam cum juramento; si id necessarium aut utile iudicetur ad salutem, & indemnitate corporis, ad honorem, vel rei familiaris defensionem; vel ad quemlibet virtutis actum. nu. 107. 108. 109.

9. Licitum est ex justa causa verbis ambiguis, vel æquivocis uti ad occultandam veritatem, & dictum juramento firmare, quando verba ipsa ex se sunt ambigua, & plures sensus admittunt, sive omnes ex æquo, & principaliter; sive unum primario, & alium secundario; vel unum in sensu literali, alium in sensu spirituali, sumptis verbis secundum sensum intentionum a ferentem, licet audientes, & is cui juratur in alio sensu accipiant. Tract. 17. cap.

cap. 2. nu. 115. Ex justa causa licitum est amphibolice loqui, & jurare in diverso sensu ac audientes intelligunt, quamvis verba ipsa in sua significatione ambigua non sint, si attentis circumstantiis loci, temporis, personæ loquentis, & modi interrogandi, verba sensum faciant intentionum a loquente, & quem interrogans ex circumstantiis concipere possit, & deberet. v.g. Interrogaris a Jure dicitur sed non legitime, an commiseris tale crimen? Recte jurare potes, te non commisisse, licet commiseris, subintelligendo: ita ut debeam proferre: Nam ex circumstantia non legitime interrogationis Jurex noscere potest, te veritatem celaturum. Sic penitens interrogatus a Confessario an commiserit adulterium, quod vere quidem commisit, sed in alia confessione confessus est, respondere potest: non commisi: quia ex circumstantia confessionis interrogatio restringitur ad peccata non confessata. nu. 117. 118.

10. Quando verba non sunt æquivoca, vel ambigua nec ex se, nec ex circumstantiis adjunctis, sed ex restrictione pure mentali sensum asserunt a loquente intentionum, nunquam possunt proferri sine mendacio, nec sine perjurio juramento firmari. Tract. 17. cap. 2. nu. 121. Equivocatio, quæ fit addendo verbum aliud significantibus aliquem ritum, vel gestum, aut verba submissa verum sensum a loquente intentionum reddentia; qui tamen nutus, gestus, vel rei ab interrogante adverti, & percipi possint, ex justa causa licita est. n. 138. Ex dictis inferitur. 1. Quod quoties factum de quo quis etiam juridice interrogatur, excusatur a culpa, ratione alicujus circumstantiæ, v.g. ratione ignorantie invincibilis, justæ defensionis, justæ compensationis, &c. potest interrogatus illud negare; quia interrogatio intelligitur de facto criminoso. Inferitur. 2. Quod qui bona aliqua abscondit, quibus eget ad sustentandam vitam, ne a creditoribus capiat, vel cogatur mendicare, potest interrogatus a Jure dicitur sub juramento an

Parti I.

aliqua bona habeat abscondita ad satisfaciendum creditoribus, asserere se nulla bona habere, subintelligendo: quæ Jure dicit manifestare teneat. Nam interrogatio est de bonis, quibus satisfacere tenetur. Teltis non juridice interrogatus de delicto Rei, potest asserere, & jurare, se nescire, subintelligendo: ita ut teneat dicere. Femina sciens certo matrimonium suum esse nullum, si cogatur cohabitare, & præstare juramentum de cohabitatione, potest jurare se cohabitaturam, & se habere animum cohabitandi, subintelligendo: quatenus mihi licet. Interrogatus a Jure dicitur an tale domum ingressus sis, in qua delictum commissum est: vel an cum reo locutus sis: potes negare cum juramento, (dummodo cooperatus non fueris;) quia interrogatio est de ingressu ad cooperandum. Idem dic de locutione. Testis juridice, & legitime interrogatus an sciat hoc, vel illud: si tantum sciat, nisi interrogatur etiam de auditu. nu. 139. 140. 142.

11. Adultera interrogata a marito an commiserit adulterium, non potest cum restrictione pure mentali illud negare: potest tamen jurare se non fregisse matrimonium; nam matrimonium adhuc subsistit. Tract. 17. cap. 2. nu. 144. Potest mercis venditor jurare, sibi tantum mercedem stare, si revera omnibus computatis expensis tanti constet. nu. 145. Reus, ac testis in judicio legitime interrogati, mortaliter peccant utendo amphibologiis, aliter respondendo verbis, ac intelligit qui juridice interrogatus; etiam si reus manifestata veritate damnandus esset ad mortem. Interrogatus juridice an commiserit tale crimen: licet ab ipso commissum non fuerit, sed ab alio ejus nomine, & de ipsius commissione; si neget sub juramento graviter peccat, & est perjurum. Similiter mortaliter peccat qui utitur amphibologiis in contractibus onerosis, in quibus ex jure, aut ex conventionione partium exigitur a contrahentibus juramentum. nu. 146. Reus, vel testis qui

L

qui in iudicio legitime interrogatus veritatem negavit, vel amphibologiis usus est, non tenetur se iterum praesentare ad veritatem aperendam, etiam si damnus; tertio intulerit, dummodo damnus, alia via refarcire possit, & paratus sit. n. 147.

CAPUT II.

De iudicio temerario, detractione, contumelia, irrisione, &c.

§. I.

De iudicio temerario, & detractione.

12. **H**onor est quaedam prolesatio de excellentia bonitatis alicujus. *Tract. 13. cap. 4. num. 1.* Fama prout in bonam, vel malam partem sumi solet, dicitur, & est illud quod de aliquo divulgatur, sive bonum sive malum. Fama bona definitur a Canonistis: *illius dignitatis status, vita, & moribus comprobatus.* Secundum Theologos vero: *Est clara illa notitia, quam alii de nobis habent.* num. 3. Fama est majus bonum quam honor, magisque aestimabile, & desiderabile. num. 4. Iudicium temerarium ad detractionem reducitur sicut actus internus ad externum: est enim laesio famae alterius in mente illius qui perverse iudicat. Illud ergo dicitur *iudicium temerarium, quod de alicujus peccato gravi, vel infami defectu concipitur ex levibus indicibus.* Gradus ad iudicium temerarium sunt suspicio, dubitatio, & opinio. *Tract. 17. cap. 4. num. 87. 88. 89.* Non est iudicium temerarium, nec peccatum mortale, immo nullum quando quis ex indicibus vel conjecturis sufficientibus, & prudentibus malum alicuius de proximo iudicat. Tunc autem conjecturae, & indicia sufficientia censentur quando, omnibus inspectis, sufficienter movere possunt virum prudentem ad tale iudicium ferendum, num. 90.

13. Ex triplici capite provenire solet iudicium temerarium. 1. Ex hoc quod quis malus est, quia qualis unquamque est, tales alios esse iudicare solet. 2. Ex hoc quod aliquis male affectus sit ad alium. 3. Ex longa experientia; sed hoc etiam conducit ad temeritatem excusandam. *Tract. 17. cap. 4. num. 92.* Iudicium temerarium, quod cum plena advertentia de gravi aliquo malo proximi habetur, est peccatum mortale ex genere suo contra iustitiam. Facienda est autem restitutio deponendo pravam opinionem conceptam. num. 93. Est etiam peccatum mortale iudicium temerarium de defuncto. Iudicium temerarium de defunctis, etiam si per breve tempus duret est peccatum mortale. Ut iudicium temerarium sit peccatum mortale, quatuor requiruntur. 1. Quod sit firmum, & certum, & de determinata persona. 2. Quod sit temeritas tanta, quae arbitrio prudentum sufficiat ad gravem culpam. 3. Quod sit in materia gravi. 4. Quod sit cum plena advertentia, & deliberatione. num. 94. Ad peccatum mortale iudicii temerarii non sufficit, quod quis advertat, se prave iudicare; nisi etiam advertat se prave iudicare absque sufficientibus indicibus, num. 98.

14. Quando dantur indicia dubia, & probabilia de delicto alicujus, possumus absque peccato dubitare, eum taliter deliquisse. Si fundamentum levius sit, quam ad dubitationem, suspensionem, vel opinionem requiritur, erit respectively temeraria dubitatio, suspicio, vel opinio. *Tract. 17. cap. 4. num. 100.* Si suspicio, dubitatio, vel opinio sit temeraria ex pravo affectu, vel odio ad personam, de qua est, ratione cuius etiam si videat indicia esse insufficientia, vult nihilominus pertinaciter pergere in suspitione, &c. mortaliter peccat. num. 101. Nulla suspicio, dubitatio aut opinio de re, quantumvis gravi est peccatum mortale, est temeraria sit, & absque fundamento: secundum Cajetanum & plures alios. Sed jam communis est, & vera sententia afferens non esse

esse quidem mortale peccatum ex levibus, & insufficientibus indicibus suspicari de proximo peccata gravia ordinaria; bene vero ex levibus indicibus peccata gravissima extraordinaria suspicari. n. 102. 103.

15. Qui utrinque habet indicia probabilia ad bene, vel prave de proximo iudicandum, ex suppositione quod ferre velit sententiam, & elicere firmam, & certum iudicium, tenetur ex iustitia in meliorem partem inclinare, & bene iudicare; non vero ad hoc absolute tenetur. *Tract. 17. cap. 4. num. 106.* In casu quo agatur de damno vitando, vel remedio adhibendo, tenetur dubia in deteriorem partem interpretari, non quidem definiendo, aut iudicando, sed supponendo quod ita sit. v.g. recipio in domo mea servum, cuius mores ignoro: non possum iudicare eum esse furem, vel de hoc positive dubitare: possum tamen ita me gerere, & eum cavere, ac si esset fur; quod est per suppositionem iudicare. Cavendum est tamen Superioribus quibuscunque, ne sint nimis suspiciosi, & modum excedant, vel subditos aliis reddant suspectos. n. 108.

16. *Detractio est denigratio injusta alienae famae.* Si detractio fiat coram eo, cui detrahitur habet etiam malitiam contumeliam. Detractio alia est formalis, qua scilicet ex animo infamandi probrola dicuntur; & haec nunquam a malitia excusatur. Alia materialis, qua crimina, & defectus, non ex animo infamandi, sed ex alio motivo deteguntur, ob quod ut infra dicitur, potest a peccato excusari. Ceterum si ex levitate animi, vel inconsideratione culpabili verba infamatoria dicantur, est detractio prava, & peccaminosa, licet materialis. Utraque est ex genere suo peccatum mortale; quoniam ex levitate materiae, imperfecta deliberatione, vel imperfecto affectu laedendi alterius famam quandoque sit tantum veniale. *Tract. 13. cap. 4. n. 31. 32. 33.* Octo modis detractio fieri potest, quorum quatuor primis directe detrahitur; aliis vero 4. indirecte. 1. Falsum alteri imponendo. 2. Alterius

peccatum, vel defectum verbis augendo, & aggravando. 3. Alterius crimen occultum revelando. 4. Quod bonum est, mala intentione factum asserendo; quod si absque fundamento simul iudicetur, additur novum peccatum iudicii temerarii. 5. Negando bonum alterius. 6. Bonum alterius minuendo. 7. Bonum alterius malitiose reticendo; quando ex sua taciturnitate alius in mala opinione firmatur. 8. Frigide alterum laudando: qui omnes duplici versiculo continentur. *Imponens, augens, manifestans, in mala versans: Qui negat, aut minuit, reticet, laudatque remittit.* Omnes isti modi sunt ejusdem speciei. num. 34.

17. Defunctis detrahere grave peccatum est, contra iustitiam obligans ad restitutionem. *Tract. 13. cap. 4. num. 35.* Defunctis damnatis, etiam gentilibus detrahere, eorum famam quam possident apud homines laedere, gravissima occulta crimina detegendo, grave peccatum est. num. 36. Peccant graviter historici, qui occulta defunctorum crimina in suis historiis narant; quia illorum famam injuste deturpant. num. 37. Peccant etiam mortaliter peccato detractionis, qui libellos famulos conficiunt. *Est autem libellus famosus, signum, vel scriptura, in qua coninetur alterius infamia secreta, vel non omnino publica, ut publica fiat, aut in pleniori notitiam statim, vel paulatim deveniat.* Igitur quando aliqua scriptura, seu charta, aut etiam parva scheda profertur, in qua sive pictura, sive etiam parvis literis crimen occultum alterius continetur, ut de manu in manum transiendo, ad publicam notitiam cum infamia eius de quo dicitur, sive verum sive falsum sit, deveniat, libellus famosus seu infamatorius dicitur. Tales sunt etiam, quae vulgo dicuntur, (Paspinate,) cum per eas alicujus infamia propalatur. Sic etiam quaedam signa, ut si ad fenestram, vel januam alicujus cornua ponentur, ad indicandum conjugem ejus esse adulteram. Item denunciations secretae de crimine alicujus occulto ad iudicem factae per scheda-

dulam, sine accusatoris nomine, etiam si in scheda contineantur criminis confecti, qui testificari possunt: nam sic Superior licite ad inquisitionem procedere nequit. num. 39. 40. Contra libellos famulos edentes, jure communi assignatur excommunicatio ferenda. Conficientes vero, & edentes libellos famulos contra Ordinem Prædicatorum, vel Minorum, & consequenter contra quemcumque Ordinem Regularem incurrunt excommunicationem Papæ reservatam. n. 47.

18. Licet detractio ex genere suo sit peccatum mortale, cum possit esse veniale ex parvitate materiæ, ut sciat quibus in casibus hoc contingat, hæc statuitur regula generalis. Quod gravitas, vel levitas detractionis non semper est accipienda ex gravitate criminis impositi; vel detecti, sed ex gravitate infamiae subsecutæ, attentis omnibus circumstantiis: aliqua sunt enim peccata gravia, quæ si de aliquibus proferantur, nullum, vel leve peccatum erit, quia de eorum propalatione parum, vel nihil curant, nec sibi infamiam adscribunt. E contra vero sunt aliqua, licet ex se levia, quæ si de aliqua persona dicantur, graviter ejus fama læditur; ut si de viro gravi diceretur esse mendacem: Si de muliere honestissima aliquid minus honestum proferretur. Tract. 13. cap. 4. num. 42. Dicere de aliquo quod sit valde superbus, avarus, præsumptuosus, &c. ex circumstantiis judicandum est an mortale vel veniale sit. Alteri detrachere in confuso, & per quædam prægnantia verba, vel expressiones, per quas plus innuitur, quam si aliquid grave in particulari diceretur, mortale peccatum est. n. 43. 44.

19. Defectus naturales detegere, ut si dicas talem esse indoctum, indifcretum, parvi judicii, cæcum, gibbum, &c. non est peccatum mortale, nisi ex hoc ille impediatur a consequenda re aliqua temporali. Poterit esse mortale hos defectus in præsentia objicere, inspecta persona cui objiciuntur, mo-

do, tempore, loco, & persona loquente. Immo etiam in absentia, si defectus qui refertur sit verb. grat. esse morbo gallico infectum, spurium, & hujusmodi, attentis circumstantiis. Tract. 13. cap. 4. num. 45. Revelare crimen occultum verum, (nam si falsum sit, extra dubium est esse peccatum mortale,) uni, vel alteri prudenti viro ad leniendum dolorem offensæ, ad petendum consilium, ad consolationem sui, nullum erit peccatum: si vero ex levitate animi, vel alia de causa id fiat, erit peccatum mortale. num. 48. Crimen proximi grave occultum referre, dicendo, se ab aliis id audivisse, absque eo quod augeat, vel confirmet: Si dicat se audivisse a personis fide non dignis, vel ab inimicis ejus de quo dicitur, & se id falsum judicare, non erit peccatum mortale, nisi crimen enorme sit, ut hæresis, proditio, sodomiz (quia de his etiam suspicio graviter famam lædit): si vero referat ut auditum a personis fide dignis, erit peccatum mortale. num. 51. Eum qui de aliquibus infamatus, de novis criminibus infamare, si sint diversæ rationis, est peccatum mortale. n. 52.

20. Tripliciter aliquid solet dici notorium, scilicet: notorium factum: notorium jure: & notorium fama, seu famosum. Notorium factum illud est, quod in loco publico, coram multis perpetratum est, & quod ob omnium oculos passim veretur: ut si quis publice concubinam habeat, episcopus filios domi alat. Notorium jure simpliciter, est quod per publicam Judicis sententiam tale est. Notorium vero jure secundum quid, est quod per confessionem Rei, vel per testium depositionem ante sententiæ prolationem est tale. Famofum est, cujus fama ex sufficientibus indicis orta ad multos pervenit, ita ut major pars Civitatis, Pagi, Viciniæ, vel Parochiæ respectivè illud noverit: in magna tamen Civitate, ut sit famosum, sufficit quod tot personis innotuerit, quod brevi

brevi credatur notitiam ad majorem Civitatis partem perventuram. Tract. 13. cap. 4. num. 53. Loqui de aliorum criminibus aliis occultis coram his qui sciunt, si id fiat ex animi levitate, vel curiositate, est peccatum veniale: si ob bonum finem, erit actus virtutis: si vero ex odio, & malo animo, est peccatum grave contra charitatem, sed non contra justitiam, nec inducit obligationem restitutionis. num. 54.

21. Narrare grave crimen notorium, ubi notorium est, etiam illud ignorantibus, non est grave peccatum contra justitiam, vel charitatem: similiter narrare crimina in uno loco publica, in alio, ubi adhuc nota non sunt, si eorum notitia ibi brevi perventura credatur, dummodo vera sint. Tract. 13. cap. 4. n. 55. 56. Si quis in uno loco diffamatus est publicitate juris simpliciter tali, scilicet per publicam Judicis sententiam, potest tam poena quam crimen, de quo diffamatus est, in loco quolibet etiam distanti ubi notitia non est facile perventura, propalari absque peccato gravi, præcise alio extrinseco noverunt: etiam si hæc infamia redundaret in alios ab ipso reo: secus si crimen esset publicum dumtaxat notorietate juris secundum quid; aut si sententia non esset omnino publica per notificationem factam in loco publico Villæ, Civitatis, vel Regni; sed intra limites tantum alicujus Congregationis, Religionis, vel Monasterii, aut intra cancellos S. Inquisitionis. num. 58. Probabilius est, crimina publica in uno loco absolute, & simpliciter publicitate facti, in alio ubi eorum notitia non est de facili perventura, publicare, non esse grave peccatum contra justitiam, aut charitatem: si tamen is qui infamatus fuerat, bene vivendo publice constet esse probum; priorque infamia lapsu temporis sit oblivioni tradita; ejus crimina apud immemores, vel ignaros narrare, erit grave peccatum, nedum contra charitatem, sed & contra justitiam, n. 61. 62.

22. Ob necessitatem, vel honestum finem licita est manifestatio alicui criminis, & a malitia detractionis excusatur. & r. Quando fit per denunciationem vel accusationem, ob delinquentis emendationem, vel publicum justitiam bonum. 2. Ad evitandum grave damnnum commune, vel particulare sui, vel aliorum, sive in vita, sive in membris aut bonis fortunæ, quod aliter vitari non possit; sed hæc manifestatio fieri debet iis tantum, quibus ad damnnum præcavendum necesse est, & tantum prout opus fuerit; & hoc etiam si grave damnnum alteri inde sequatur, dummodo damnnum quod manifestando vitatur, non sit leve, aut longe minus, quam quod alteri sequitur. Tract. 13. cap. 4. num. 63. 64. 65. Hinc sequitur quod si quis se fingat magnum Medicum, artificem, Advocatum, &c. in aliorum præjudicium: ei qui certo fecit illius defectum, licitum est illum detegere. 3. Cum expedit bono communi, vel ipsius diffamati: ut si beneficium esset recepturus, vel Ordines, aut habitum religiosum, aut aliud munus, pro quo esset inhabilis, vel indignus: verum id fieri debet cum ejus minori damno possibile. Quod si ille bona fide procedat, tenetur qui conficius est delicti, vel defectus, eum secreto monere si possit. 4. Quando necesse est ad bonum temporale alicujus; sed solum tantum tunc revelari potest, quantum opus est ad tale bonum assequendum, vel malum avertendum; ideoque contrahere volenti matrimonium, poterit alter detegere defectum natalium, vel vitium personæ, cum qua contrahere vult, sub promissione tamen secreti, & cum probabili spe quod non publicabitur. Similiter furtum illius, qui ad servendum recipiendus est. n. 66. 67.

23. Qui inducit alium ad detractionem interrogando, urgendo, & qui gestu, plautu, verbis animum addit, & ostendit sibi gratam esse detractionem, mortaliter peccat contra justitiam, & ad restitutionem tenetur in

defectum detrabentis. Insuper peccat etiam peccato scandalii contra charitatem inducendo alium ad detractionem. Excusari autem potest a peccato gravi, & ab onere restitutionis, si invincibiliter ignoravit gravem futuram esse detractionem, aut si ipse solum ad levem induxit, aut de re quam judicabat publicam esse. *Tract. 13. cap. 4. n. 68.* Si quis nec inducat ad detrahendum, nec animum addat detrahenti, sed tantum gaudeat, & complaceat de gravi detractione; graviter peccat ex genere suo contra charitatem, non vero contra iustitiam. Si autem delectetur non de infamia eius, cui detrahitur, nec de ipsa detractione, nec propter odium, aut displicentiam personæ, de qua est sermo; sed ob eloquentiam detrahentis, ex curiositate sciendi nova, aut ex alio capite, non erit mortale. *nu. 69.* Magistratus superior, vel Prælati eius qui detrahit, aut de quo detrahitur peccant mortaliter audiendo detractionem, & non avertendo eam cum commode possunt; & contra iustitiam quidem, Superior eius de quo detrahitur; contra charitatem vero Superior detrabentis. *n. 70.* Persona particularis detractionem audiens, de qua non complaceat, ut malum proximi est, nec ad eam inducit, vel animum addit, si vel ex verecundia, vel negligentia, vel timore non resistat detrabenti, non peccat nisi venialiter, nisi aliud damnum præter infamiam ex detractione sequatur. Si spes non adfit, quod resistendo detraçtio cessabit; si credas auditores nullam fidem detrabenti præbitorum; si dubites an delictum sit publicum vel non, minime ad resistendum teneris. *n. 71. 74.*

24. Revelationi occulti delicti affinis est revelatio secreti. Secretum aliud est Sacramentale de quo alibi: aliud extrasacramentale. Secretum extrasacramentale triplex est: Naturale quod scilicet ex natura rei sequitur; promissum tantum; tacite, vel expresse commissum, & promissum. Secretum ex natura rei est, quando quis casu, vel

industria, vel ex alterius revelatione alicujus delictum, vel secretum aliquod novit, absque promissione illud servandi: Secretum promissum duntaxat, est cum res ex natura sua non inducit obligationem secreti, nec commissum est, sed tantum a sciente promissum. Secretum expresse commissum, & promissum illud est quod verbis expresse committitur, & promittitur. Secretum vero tacite commissum & promissum est, quod ex circumstantiis constat commendari, & promitti; & sic omnes ad quos pro consilio, remedio, vel auxilio recurrit, ad secretum tacite commissum, & promissum remanent obligati. Secretum quod est ex natura rei, debet observari ubi mortali, & etiam ex iustitia quoties est illius revelatione graviter læditur is, cuius est secretum, vel aliquod damnum sequitur, quo damno secuto, ad eius reparationem tenetur qui revelavit. Secretum duntaxat promissum solum obligat, quatenus promittens se intendit obligare: nec obligat in casibus, in quibus aliàs revelare tenebatur, etiam si promissio juramento firmata sit. Secretum implicite, vel expresse commissum, & promissum obligat sub mortali, ex iustitia commutativa; excusabit tamen revelantem a peccato gravi, committentis præsumpta, vel interpretativa voluntas. *Tract. 13. cap. 4. n. 75. 76.*

77. 78. 79.

25. Ut secretum proprie dicatur commissum, requiritur, quod aliunde non sciatur id quod sub secreto committitur; quia in tali casu, si aliàs tenebatur revelare, non excusatur ab hac obligatione; per secreti promissionem etiam juratam. *Tract. 27. cap. 1. nu. 32.* Si delictum sit sub secreto sacramentali commissum, in nullo evento potest quis etiam a Iudice requisitus illud manifestare. Si quis genuflexus, signo crucis facto, & præmissa Sacramentali Confessione peccatum aliquod manifestet Confessario, non ut ab eo absolvat, sed tantum ut consilium accipiat; tenetur Confessarius illud celare,

lare, solum sub secreto commissio, non vero sub sigillo confessionis. Sub sacramentali secreto tenentur celare delictum qui illud noverunt mediate ex vi confessionis. *num. 33. 34.* Secretum proprie commissum alicui non debet alteri revelari, etsi a Iudice sub juramento revelari præcipiatur, & quavis delinquens laboret infamia, dummodo non sit occultatio aliquod grave damnum Reipublicæ, aut alicui privato imminet, quod aliter impediri non valet. *n. 35.*

26. Ex distis inferitur: quod Medici, obitricæ, Consiliarii, Advocati, & alii quibus commissum est secretum consilii, remedii, vel auxilii petendi causa, non possunt delictum manifestare, etiam si a Iudice sub juramento interrogentur, & testificari cogantur. Inferitur quoque quod qui delictum alia via cognovit, tenetur non obstanti secreto commissio, & promissio, illud Iudici legitime interroganti manifestare. *Tract. 27. cap. 1. num. 37. 38.* Uni vel duobus tantum, secretum crimen proximi, quod aliis minime sint manifestatur, sub eodem secreto patrefacere, est tantum peccatum veniale, dummodo revelatio non fiat ei, cui ipse secretum committens rem occultari vult, & graviter feret si ei reveletur. Non peccat qui crimen sub secreto commissum revelat, quando sibi, aut consanguineis ex feret observatione imminet gravia tormenta, aut simile damnum. *n. 42. 43.*

27. Iusta causa ob quam revelatio secreti, si sit ex natura rei, si vero promissum & commissum, a peccato excusatur, est si ad detegendum, vi mortis, aut tormentorum, aut alterius gravis damni sis coactus; nisi revelatio cedat in publicum grave damnum. Item si secreti observantia cedat in grave damnum eius, qui illud commisit, vel in grave damnum commune, aut innocentis. Ex quo deducitur: quod si is qui secretum commisit erui non potest a peccato nisi reveletur secretum, detegi potest, & debet, quantum sat est, ut corrigatur. Revelationem secreti commissi a peccato

gravi excusant. Primo. Licentia interpretativa, seu præsumpta illius qui secretum commisit. Secundo. Parvitas materie: ad quam reducitur revelatio secreti de re gravi uni, vel alteri viro prudenti sub eodem secreto facta, dummodo nec infamia, nec grave damnum sequatur; nec, ut dictum est, ei reveletur, cui specialiter celari cupiebatur, secretum committens. Tertio. Inadvertentia, vel imperfecta deliberatio. Quarto. Invincibilis ignorantia: ut si quis rem magni momenti revelet putans invincibiliter esse parvi momenti. *Tract. 13. cap. 4. num. 77. 80.*

28. Secretum alterius exquirere in materia gravi, si ve id fiat interrogando, & inquirendo ab his qui norunt, si ve auscultando quæ in secreto dicuntur, si ve explorando per rimulas, & fenestras ea quæ in occulto fiunt, est ex genere suo peccatum mortale. Excusabitur autem inquirens a mortali in omnibus iis casibus, in quibus excusari diximus eum, qui secretum sibi commissum revelat. Licet quoque erit eis, quorum interest, cum agitur de conferendo beneficio, de eligendo Prælati, Parocho, Gubernatore, de contrahendo Matrimonio, & similibus, inquirere mores etiam secretos personæ eligendæ, quantum opus est ad cognoscendam ejus dignitatem: inquirentes autem, ea quæ noverint sub secreto, servare tenentur. *Tract. 13. cap. 4. n. 83.*

29. Literas clausas, & sigillatas aperire, vel etiam apertas in loco secreto, ut in serinio, vel mensa cubiculari inventas, & quæcumque alia scripta secreta legere, peccatum mortale est. Potest tamen Prælatum subditorum literas aperire, & legere, iis exceptis, quæ a subditis ad majorem Prælatum, vel ab eo ad subditos diriguntur. Item absque peccato aperiri, & legi possunt Epistolæ ex consensu saltem implicito, & rationaliter præsumpto mittentis, vel ad quem diriguntur. Mortale quoque non erit, si rationaliter credatur non contineri in eis, nisi res parvi momenti, vel publicas, & notorias; vel nihil, aut parum curare de

de secreto eum ad quem pertinent. Similiter si ob curiositatem, absque periculo notabilis damni, vel injuriæ aperiantur, causa sciendi novitates, aut ridendi ob inelegram, & barbarum sermonem. Denique cum quis rationabiliter credit in literis aliquid contineri, quod in ejus damnum cedat. In his autem casibus ea tantum legi possunt, quorum indagatio excusatur; cætera transilienda sunt, nec aliis possunt revelari quæ lecta sunt, præter necessarios ad damnum averendum. Tract. 13. cap. 4. n. 84-85. Qui invenit literas in loco publico apertas, ibi præter intentionem e sine habentis lapsas, mortaliter peccat: secus si laceratas inveniat, vel in loco publico projectas, & apertas. n. 86.

§. II.

De contumelia, irrisione, susurratione, & maledictione.

30. Contumelia est debonoratio alicujus per verba, quibus id quod est contra honorem illius, deducitur in notitiam ejus, & aliorum. Sufficit ad rationem contumeliæ quod debonoratio per verba fiat coram solo contumeliato: erit tamen gravior contumelia, si etiam in notitiam aliorum deducatur. Si defectus qui obicitur sit culpæ, dicitur proprie contumelia; ut si aliquem apelles furem: si sit pœnæ, dicitur convictum; ut si alium appelles cœcum, gibbum, stultum &c., si sit indigentia, dicitur improprium, ut cum commemoratur alicui præterita miseria, vel ægestas. Sed hæc omnia sunt ejusdem speciei. Etiam per facta læsiva honoris potest fieri contumelia; & tunc facta vicem verborum gerunt. Tract. 13. cap. 4. num. 10. 11. 12. Contumelia ex genere suo est peccatum mortale. num. 13. Contumelias illatas retundere quandoque conveniens est, vel propter bonum contumeliantis, ut corrigatur, vel propter bonum aliorum, quorum impeditur profectus. num. 15. Offensio non licet aliam contume-

liam contumelianti obicere in vindictam licet tamen contumeliato, si tamen hoc ad contumeliam illatam confringendam, & honorem servandum conducatur, contumelianti verum crimen obicere etiam occultum; ut si eum mendacem afferas, & offendas, quia hæc est justa defensio. Numquam licebit ei crimen falsam imponere. n. 17-18. Vide prop. 43-44. damn. ab Inn. XI.

31. Irrisio est verborum lusus, ex proximi defectibus, ut erubescat. Est ex genere suo peccatum mortale. Omnes irrisiones sunt ejusdem speciei; nisi aliam superinduant. Tract. 13. cap. 4. nu. 23. Irrisio in re parvi momenti ludi, vel recreationis gratia, si ab eo cui inferatur ex ipsius pusillanimitate gravissime feratur, & cum maximo animi dolore, & perturbatione, non excusatur a mortali. num. 25. Susurratio est verbum seminandum inter amicos discordias. Omnes susurrationes sunt ejusdem speciei. num. 20. Amicitiam aliquorum licitum est absque vi, fraude, vel injuria dissolvere, non ut fiant inimici, sed ut dissolvens in locum exclusi admittatur. Amicitias perniciosas, aliquo licito modo, & citra infamationem dissolvere bonum est, & aliquando etiam necessarium; Et ideo ad avertendum amicum a muliere, dicere potes esse deformem, insulsam, vel alios defectus etiam morales veros proferre. Dissolvere autem amicitiam in virtute fundatam, ita ut fiant inimici, semper est peccatum mortale. num. 21. 22.

32. Maledictio est cum verbis, malum aliquid contra aliam pronuntiatur, imperando, vel optando illud ex intentione. Est peccatum frequentissimum, & ex genere suo mortale. Tract. 13. cap. 4. num. 26. Ut maledictio sit mortale peccatum tria requiruntur. Primo. Quod ex animo, & intentione malum imperetur, seu imprecetur. Secundo. Quod ex perfecta deliberatione procedat talis imprecatio. Tertio. Quod malum optatum grave sit. Quolibet ex his deficiente, etiam si ex ira, & mala consuetudine maledictio procedat, non erit mortale; & ideo mulierculæ, & rustici in his frequen-

quenter non peccant mortaliter; quia ex ira, prava consuetudine, vel inconsideratione procedunt, non optando, sed impetum furoris significando. num. 28. Maledictiones diversificantur specie ex diversitate specifica malorum, quæ quis alteri optat. num. 29. Maledictio creaturarum irrationalium secundum se sumpturum est peccatum veniale. Maledictio vero earum; in quantum homini inferiunt, ut si quis malediceret gregem Petri ut periret, est peccatum mortale. Maledicere autem creaturas irracionales scienter, & cum advertentia, ut a Deo sunt, & blasphemiam. n. 26.

33. Fama per detractionem ablata, debet quantum fieri potest restitui, sive ablato fuerit per falsi criminis impositionem, sive per occultam manifestationem: & non solum tenetur detractor famam relaxare, sed etiam damna ex infamatione secuta. Ut detur obligatio hujus restitutionis requiritur quod detractor peccaverit contra justitiam graviter, detrahendo. Quare qui juxta superius dicta sect. 22. occultum crimen detegit, cum non peccet contra justitiam, non tenetur ad famam restitutionem. Ut damna secuta detractor relaxare teneatur; debet ea vel in communi; vel in particulari prævidere eventura; nam si per inadvertentiam, vel invincibilem ignorantiam, nec in communi, nec in particulari prævideat, voluntaria in causa non censentur. Præterea si vel infamia, vel damnum ex illa non sequatur; quia videlicet audientes non crederent; vel quia publicum erat quod putabat occultum; vel quia infamatus ipse de hoc nihil curabat; vel quia jam infamatus erat de aliis similibus; undeque effectus impediatur, nulla datur obligatio restitutionis, quantumvis detractor damnificare, vel infamare conetur. Tract. 13. cap. 4. num. 118.

34. Si quis solum materialiter contra justitiam delinquit alium infamando: vel quia putabat crimen esse publicum, quod tamen erat secretum; vel quia falsum dixit, quod credebatur esse verum; vel quia rem gravem propalavit, quam ex

ignorantia, vel inadvertentia levem putabat; vel quia iudex sententiam infamatoriam injustam protulit, justam arbitratus: in his, & similibus teneatur restituere famam, & damna ex infamatione secuta relaxare; quia licet ab initio non fuerit injusta actio, tamen advertens famæ læsionem, tenetur diu retractare, & damna inde sequentia impedire, quod si non faciat, jam incipit formaliter delinquere contra justitiam, & fieri alienæ famæ injustus detentor, & causa voluntaria damnorum. Tract. 13. cap. 4. num. 119. 120. 121. Qui alium infamavit apud eos, quos sciebat aliis propalaturis, apud omnes tenetur restituere, si illi non restituant: Probabile nihilominus est, solum teneri restituere apud immediatos suæ detractionis auditores, num. 122. 123. Injustus detractor tenetur, non tantum famam læso restituere, sed & omnia damna ex infamia effective secuta relaxare. num. 124. Et hoc non solum quando alium infamavit per falsi criminis impositionem, sed etiam quando infamavit per verum, sed occultum criminis propalationem. Quare si ejus revelatio fuit omnium damnorum causa, totalis, ad omnia tenetur; si partialis, ad ea tenetur pro ratione influxus, n. 126.

35. Si detractor ante restitutionem moriatur, ejus obligatio quoad famam restitutionem non transit ad heredes; bene vero quoad damnorum reparationem. Tract. 13. cap. 4. num. 137. Qui alterum infamavit per falsi criminis impositionem, si alia via non possit pravam aliorum opinionem ex tali infamatione generatam abolere, debet afferere se mentitum fuisse, & falsum dixisse, & si opus sit addere etiam juramentum, & etiam testes veritatis quos invenire poterit, adhibere. num. 129. Qui alterum infamavit, verum crimen occultum detegendo, debet oblati occasione verere, serio, & ex animo, & sine ullo restitutionis indicio præclare loqui de læso, cum illo honorifice agere, eum laudare, & virum probum afferere. Si hoc non sufficiat, debet se retractare dicendo.

do, se deceptum fuisse, se falsum dixisse, se mentitum fuisse &c. neque in hac se retractandi forma datur mendacium . n. 131. 133.

36. Cum periculo mortis non tenetur detractor famam restituere, nisi in casu quo etiam infamatus ex tali infamatione mortis periculum subiret; quia quilibet, cum æquali suo damno, tenetur alterius damnum rescire: & ideo cum æquali suæ famæ, aut vitæ dispendio tenetur alterius famam a se injuste ablatam restituere. Tract. 13. cap. 4. num. 135. 136. Si famam amissam infamatus integre alia via recuperavit, non tenetur infamator eam restituere, aut se retractare. Similiter si arbitrio prudentum, præterita infamia sit penitus oblivione deleta, & sepulta; sive verum crimen fuerit detectum, sive falsum impositum: damna tamen a tempore actualis infamationis, usque ad oblivionem secuta debent resciri. De tali autem oblivione sufficit moralis certitudo, aut opinio probabilis, ut cum a multo tempore, nulla de tali crimine habetur mentio. num. 137. 138. Similiter si delictum aliunde publicatum fuit, excusatur detractor a restitutione famæ, non vero a restitutione damnorum, quæ a tempore infamationis, usque ad dictam publicationem secuta sunt. num. 139.

37. Si famæ restitutio sit impossibilis, probabilis est non teneri detractorem eam pecuniis compensare: si tamen infamator per sententiam Judicis ad pecuniam pecuniariam damnatus sit; vel ipse infamatus cum infamatore transegerit de pecunia solvenda; ad id omnino ex iustitia tenetur. Tract. 13. cap. 4. num. 140. 142. Quando datur mutua infamatio, certum est quod si non sit utraque æqualis, non potest una per alteram compensari, nisi ad æqualitatem redigatur. Certum est etiam quod si alter, etiam stante æqualitate infamæ, velit tibi famam restituere; tu quoque ad id teneris, nec datur locus compensationi. Certum denique est, quod si aliquis te infamavit, non licet tibi ad infamiam tuam compensandam illum vicissim in-

famare; cum illius infamia nihil ad tuæ famæ recuperationem proficit, sed potius est vindicta. num. 143. Data jam mutua æquali infamatione, sine exhibitione restitutionis ex parte alicujus, una infamia per alteram compensatur. num. 146. Si aliquis te infamavit, & vel noluit; vel nequeat famam restituere: cum sit probabile posse famam pecunia compensari, probabile etiam est, te posse uti pecuniarum compensatione, & non solvere illi debitum, vel occulte auferre, servatis tamen conditionibus compensationis. n. 148.

38. Læsi proximi per honoris debiti subtractionem, vel omissionem resciritur, honorem, & reverentiam omissionem exhibendo. Honor præcipue ablatum per irrisiones, vel contumelias verbis, sive factis, debet ex iustitia rescirri, & restitui, sive publice si publica fuit dehonoriatio, sive in secreto si secreta fuit: non est tamen necesse quod fiat per ipsum debitorem; sufficit enim quod fiat per alium. Tract. 13. cap. 4. num. 109. 110. Circa modum rescirandi honorem, pro diversitate personarum lædentis scilicet, & læsi diversi sunt modi: & licet melior restitutionis modus sit per veniæ petitionem; tamen in hac re prudentum iudicio standum est; non enim idem modus semper, & pro omnibus injuriis sufficere potest. num. 113. 114. Honoris restitutio, condonata non censetur, ex eo quod inhonoratus valde familiariter tractet cum dehonoriato, nisi læsus, manifesta remissionis signa prebeat.

De IX. & X. Decalogi præcepto.

Licet per singula Decalogi præcepta non solum actus externi peccaminosi, sed & quælibet delectatio morosa, nec non & desideria cujuscunque objecti

pravi prohibita censeantur: cum tamen venerorum, & divitiarum cupiditas humanum sensum, non sine lapsu magno periculo vehementer afficiat; jure merito Divinus Legislator, per alia duo distincta præcepta adulterii, & furti desideria expresse prohibuit. Verum cum de his, aliisque actibus peccaminosis internis in propriis locis, & præcipue in tractatu de principiis moralitatis sufficienter actum sit; ad alia calamum convertimus.

Finis Partis Primæ.